

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IV - N. 2

1972

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1972

EX ACTIS PAULI PP. VI	
Litterae Apostolicae	
I. Ministeria quaedam	81
II. Ad pascendum	86
Allocutiones	
I. Institutorum Saecularium sodalibus	93
II. Iis qui participaverunt Cursum renovationis canonicae pro iudicibus aliisque Tribunalium administris	99
EX ACTIS SANCTAE SEDIS	
S. Congr. pro Doctrina Fidei	
Normae circa absolutionem sacramentalem	100
S. Congr. pro Cultu Divino	
I. Declaratio de concelebratione	105
II. Decretum de nomine Episcopi in prece eucharistica preferendo	107
Secr. ad Christian. Unit. Fovendam	
Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios Christianos ad Communionem Eucharisticam	110
Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis	
Responsum ad dubium de ritu Confirmationis	117
ACTA COMMISSIONIS	
I. Coetuum studiorum labores	118
II. Brevis conspectus de itinere peracto in elaboratione et emendatione schematis LEF	120
III. Relatio contrahens animadversiones Episcoporum ad Schema LEF propositas	122
IV. Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus	160
De locis et temporibus sacris	160
DOCUMENTA	
I. Cardinalis Praeses coetum habet Philadelphiae (U.S.A.) cum quibusdam sacerdotibus e Canon Law Society	169
II. De rationibus inter carisma et legem Cardinalis Praeses dicit praesentando Miscellanea in honorem P. Bidagor	171
III. Super Miscellanea in honorem P. Bidagor	172
NOTITIAE	177
INDICES	
Indices anni 1972	179
Index locorum e Sacra Scriptura citatorum	181
Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticanii II servatur	182
Index locorum ex Concilii Vaticanii II textibus citatorum	182
Index canonum C. I. C. citatorum	184
Index nominum personarum	187
Index rerum generalis	189

Orientales, utque periti habeantur ex diversis scholis iuridicis et theologicis. Rogat item aliquis Episcopus, ut periti nominentur Ecclesiarum diversorum Rituum, et quidem non necessario Episcopi, sed personae quae vitam ducunt in communitatibus ecclesialibus sui Ritus.

De opinione duarum Episcoporum Conferentiarum, fundamenta dogmatica quae in LEF habentur discutienda sunt a Commissione internationali theologorum, et quidem collegialiter. Alia ex parte, rogat aliquis Episcopus, ut consultantur scholae et universitates catholicae.

Propositionem etiam facit aliquis qui exoptat ut in elaboratione LEF duo distinguantur momenta: 1) prior quaedam elaboratio schematis, initialis et provisoria, quae adiumento esse possit ad recognitionem Codicis I. C., praebendo nempe principia attendenda in eiusdem recognitione; 2) altera elaboratio, definitiva, quae colligat omnia fundamentalia principia in novis Codicibus, Latino scilicet et Orientali immo vel aliis, stabilita, haecque explenda tantum post absolutum laborem recognitionis eorum Codicum. Etiam quaedam Episcoporum Conferentia commendat ut definitiva schematis LEF redactio fiat tantum postquam schemata in ordine ad novum Codicem paranda confecta sunt.


Est tandem qui opinatur ultimum redactorem schematis requiri unum, unam nempe personam, non aliquem personarum coetum.

2. *De prolatione et promulgatione* LEF futura quoque quaedam proponuntur vota. Secundum duas Episcoporum Conferentias, non est condenda Lex Ecclesiae fundamentalis nisi auditio Synodo Episcoporum. Immo, de sententia alicuius Episcopi, non est promulganda Lex Ecclesiae fundamentalis, nisi antea de eadem disceptatum sit in altero Concilio oecumenico. Ad promulgationem huius legis quod attinet, expostulat ut actu collegiali, a Romano Pontifice una cum Episcopis, promulgatio fiat (Willelmus Onclin, *Relator*).

IV

OPERA CONSULTORUM IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

Consultorum Coetus ad normas de Locis et Temporibus sacris recognoscendas constitutus primo coadunatus est diebus 25-29 mensis octobris 1971, in qua sessione critice examinati sunt canones de ecclesiis oratoriisque, et pro studio propositae sunt quaedam quaestiones de sepultura ecclesiastica.



Antequam de singulis cann. 1154-1242 quaesitum fuit, quinam e iure communi seponendi essent, quinam mutandi, imprimis principia quaedam generalia, ex votis iam a Consultoribus submissis extracta, post aptam disceptationem uti criteria diiudicandi acceptata sunt; videlicet: 1) supprimenda esse omnia quae ad ius liturgicum proprie pertineant; 2) de coemeteriis et sepultura, ea tantummodo principia generalia in Codice retinenda esse, quae vere universum valorem habeant et disciplinam moribus hodiernis applicabilem contineant; 3) supprimi debere eas normas quae nimis ad particularia descendant; 4) semper pree oculis habenda esse, uti patet, ea quae in hac materia iam a Sancta Sede mutata sint; 5) novas normas congruere debere decretis Concilii Vaticani II, praesertim quod attinet ad spiritum oecumenicum.

A - DE LOCIS SACRIS

Dilata ad tempus recognitione canonum praeliminarium (1154-1160), imprimis crisi subdita est ipsa notio « ecclesiae » (can. 1161). Quam vero, vi can. 1191, oratoria publica « eodem iure quo ecclesiae » regantur, censuit Coetus non amplius sustinendam esse vigentem inter ea et ecclesias distinctionem, quae tantummodo e fine originario erectionis aedium desumitur. Probavit igitur sequentem definitionem quae utramque aedium sacrarum speciem complectitur: « Ecclesiae nomine intellegitur aedes sacra divino cultui dedicata ad quam omnibus fidelibus ius sit adeundi ad divinum cultum exercendum ».

Applicato principio iam acceptato, de seponendis a Codice normis quae proprie ad ius liturgicum pertinent, censuit Coetus ut ob hanc rationem eliminentur oporteat cann. 1164-1168, 1170, 1172-1177, et 1180.

Idem visum est concludere quoad cann. 1182, 1183, 1184 et 1186, etsi ob aliam rationem, nempe, quod pro istis normis de administratoribus bonorum ecclesiarum sufficit nova norma generalis iam proposita a Coetu de Iure Patrimoniali Ecclesiae. Iuxta eam administratio bonorum ecclesiasticorum penes eum est qui immediate regit personam canonicam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo. Quoad can. 1186, de nominatione eorum qui ecclesiae diversis modis inserviunt, mens Coetus fuit ut retineretur sed transferetur in illam Codicis partem, quae de officiis ecclesiasticis tractat.

Reliqui canones tituli « De ecclesiis », sat parvis emendationibus

inductis, servati sunt, nempe, can. 1169 de campanis, can. 1171 de cultus publici in ecclesia exercitio, can. 1178 de arcendo ab ecclesiis quidquid a loci sanctitate absonum sit, can. 1179 de sic dicto iure asyli, can. 1181 de ingressu libero, can. 1187 de reductione ecclesiae in usum profanum; hoc autem ultimo ita recognitum est ut complectatur casum in quo Ordinarius iudicat bono animarum proficere ut aliqua ecclesia ad cultum publicum non amplius adhibeatur.

In titulo X, « De oratoris », quum iam reiecta fuisse distinctio inter ecclesiam et oratorium publicum, necesse erat recognoscere oratoriorum notiones et distinctiones in can. 1188 traditas. Post debitam disceptationem, visum est duplum tantum speciem retinere, oratoria nempe et sacella privata. *Oratorii* nomine intelligendus est locus divino cultui, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium, de licentia Ordinarii destinatus, ad quem etiam alii fideles de consensu superioris accedere possunt. Nomine autem *sacelli privati* intelligendus est locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum, destinatus. Quibus mutationibus probatis, superflua iudicata sunt praecepta canonum 1190, 1191, 1194. Principia vero quae in cann. 1189, 1192, 1193, 1195, 1196 enuntiantur, substantialiter servata sunt.

Titulus XI, « De altaribus », de unani consensu Consultorum supremi potest, quia agitur de materia liturgica quae iam satis in Institutione Generali, novo Missali Romano praeposita, ordinatur.

In secunda Coetus sessione, diebus 20-25 mensis martii 1972, habita, examinati sunt cann. 1203-1242, qui hucusque sub titulo « De sepultura ecclesiastica » exstiterunt. Quum vero iam abrogatum sit ipsum praeceptum canonis 1203, quo sepultura corporum fidelium defunctorum stricte exigebatur eorumque crematio reprobabatur, necesse erat imprimit novam superscriptionem titulo praeponere, novumque eiusdem textum redigere ad mentem *Ordinis Exsequiarum* (Praenotanda, n. 15). Dilata ad tempus solutione quaestionis de idonea tituli superscriptione, necnon de apta tituli collocatione in novo Codice, Consultores, re bene considerata, convenerunt ut can. 1203 ita recognoscatur:

« § 1. Omnes fideles defuncti exsequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt.

§ 2. Exsequiae seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebrandae sunt iuxta modum, quem, ad normam legum liturgicarum, Conferentia Episcopalis regionis statuerit.

§ 3. Illis etiam qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi

constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianeae vitae adversis, concedendi sunt exsequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepeliendi anteponere, vitatoque periculo scandali ».

Loco canonis 1204, qui ita superflus redditur, visum est substituere novum canonem, quo requiritur, item ad mentem *Ordinis Exsequiarum*, ut in exsequiarum celebratione omnis indebita personarum acceptio evitetur; propter enim ipsam rituum diversitatem, quae in novo *Ordine ministrorum optioni* praebetur, eiusmodi cautio utiliter, velut « in capite libri », praeponitur.

Quod attinet ad Caput I, « De coemeteriis », dilata quaestione an expeditat hoc loco asserere ius Ecclesiae possidendi propria coemeteria, prout fit in can. 1206, § 1, censuerunt Consultores totum caput valde simplicius breviusque redi posse et debere, iuxta sic dictum « subsidiaritatis » principium. Servanda quidem est norma qua, ubi fieri possit, coemeteria Ecclesiae propria vel saltem spatia in civilibus coemeteriis fidelibus defunctis destinata, alterutra rite benedicenda, habeantur oportet; quod si fieri nequit, singuli tumuli toties quoties benedici debent. In ecclesiis autem sepeliri possunt solummodo Romani Pontifices, S. R. E. Cardinales, necnon, in propria sua ecclesia, Episcopi residentiales.

Paroeciae quoque familiaeque religiosae, salvo iure particulari, coemeterium proprium habere queunt, et aliis personis moralibus canoniciis vel familiis privatis peculiare sepulcrum a loci Ordinario permetti potest.

Cetera vero in hoc capite contenta aut superflua esse aut iure particulari efficacius ordinari posse iudicata sunt.

Caput II, de cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione, item ad formam multo breviorem redigendum esse conveniunt omnes. Plures enim ex his canonibus ordinati esse videntur eum praesertim in finem ut clare determinarentur iura ecclesiarum circa taxas vel eleemosynas occasione funerum de more solvendas. In iure autem condendo, si funera occasionem lucri notabilis ecclesiae funeranti praebere desinant, quod quidem videtur esse mens M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 8, necnon Synodi Episcoporum (1971) (A.A.S. 63, 1971, p. 921), ita ut celebratio funeris fiat servitium magis onerosum quam frugiferum, opus est potius determinare ecclesiam quae *officio* funerandi tenetur.

Loco igitur canonum 1215-1233, approbatae sunt tantummodo normae sequentes. Ex iure ordinario, funus pro quolibet fidieli defuncto

in propriae paroeciae ecclesia celebrari debet. Fas tamen est cuilibet fidieli, vel iis quibus fidelis defuncti exsequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere de consensu rectoris eius. Si vero cadaver fidelis, qui extra paroeciam propriam decesserit, ad eam translatum non fuit, nec habetur alia ecclesia legitime electa, exsequiae celebrentur in ecclesia iure particulari designata. Episcopi autem residentialis defuncti exsequiae in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi aliam ecclesiam elegerit. Exsequiae religiosorum eorumque qui cum illis stabiliter commorantur, fiant ad normam constitutionum. Quod attinet ad sepulturam, si paroecia habet proprium coemeterium, in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit vel ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit (quod fieri potest ab omnibus qui non expresse iure prohibentur); quo in casu ibidem sepeliendum est cadaver, dummodo accedit consensus superioris a quo coemeterium pendet.

Quibus statutis, censuit Coetus sat provisum esse pro omnibus casibus de quibus agitur in cann. 1215-1233, saltem quatenus iure communis ordinari indigent. Si quid enim ulterius determinare expediat, aptius iure particulari vel statutis peculiaribus componi potest et debet.

Quod spectat ad taxas portionemque paroeciale, de quibus in cann. 1234-1237, Consultores, attento supracitato voto Synodi Episcoporum, scil. ut proventus Sacerdotum ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus, separantur, novas normas exaraverunt, iuxta quas, etsi fovenda sit fidelium consuetudo oblationes *Ecclesiae* occasione funerum libere donandi, curare tamen debent Ordinarii ne ullo modo taxae exigantur, et in quolibet casu exequiae semper celebranda sint iuxta leges liturgicas ac Conferentiae Episcopalis statuta; qui vero exsequias consuetis solemniores cupiunt, ipsi per se expensas additicias persolvant.

Retento canone 1238 de adnotatione funerum in libro defunctorum, nil amplius in hoc capite requiri videbatur, saltem ex parte iuris communis.

In recognoscendo capite III, quo regitur concessio vel denegatio exequiarum ecclesiasticarum, opportunum visum est normam canonis 1239 modo magis positivo magisque liberali exprimere, ita ut aliqua ratio haberetur concessionis liturgicae in novo *Ordine Exsequiarum*, n. 82, factae, qua nempe loci Ordinarius ritum peculiarem permettere potest pro parvulo, ante baptismum mortuo, quem tamen parentes baptizari volebant, simulque evitaretur aequiperatio canonica cum exequiis ecclesiasticis, stricto sensu sumptis, quibus honorantur

cadavera baptizatorum necnon catechumenorum adulorum. Post maturam de re disceptationem, haec formula probata est: Omnes fideles et catechumeni defuncti exsequiis ecclesiasticis donandi sunt, nisi eisdem a iure expresse priventur; fratribus seiunctis qui per baptismum in quadam cum Ecclesia catholica communione constituti sunt, concedi possunt exequiae ecclesiasticae de prudenti loci Ordinarii iudicio; alii etiam, qui aliquomodo ad Ecclesiam propinquai videbantur, sed, antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae, item de prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt.

Quoad exequiarum ecclesiasticarum denegationem, de qua in cann. 1240-1242, loco catalogi casuum, sufficere habitum est criterium generale quod nititur ratione scandali publici omnibus eisdem casibus communi, videlicet: Exsequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, peccatores quibus eaedem non sine publico fidelium scando concedi possunt; occurrente aliquo dubio, consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est; permanente autem dubio, concedatur ritus exsequialis, ita tamen ut removeatur scandalum. Quibus provisis, supprimantur cann. 1241 et 1242.

In tertio Coetus conventu, diebus 16-20 octobris, 1972, habito, imprimis examinati sunt canones praeliminares, 1154-1160, quorum recognitio dilata erat usque dum ceteri canones de locis sacris prius recogniti fuerint.

Reiectis post disceptationem debitam quibusdam dubiis a Consultoribus adductis, definitio locorum sacrorum, qualis iam datur in can. 1154, confirmata est. In can. 1155 autem, ubi statuitur consecrationem alicuius loci spectare ad Ordinarium territorii, suppressio clausulae restrictivae — « dummodo Ordinarius charactere episcopali sit insignitus » — approbata est. Quod vero spectat ius benedicendi locum sacrum (can. 1156), accuratius in formula recognita determinantur loca specifica quorum benedictio pertinet ad Ordinarium territorii, vel ad Superiore maiorem religiosum, scil. nova ecclesia, vel oratorium, vel novum coemeterium; eodemque modo recogniti sunt cann. 1157, 1158. Minus polemice in can. 1160 dicetur, auctoritatis ecclesiasticae esse iurisdictionem suam in locis sacris libere exercere. Explicita autem assertio iuris Ecclesiae catholicae possidendi propria coemeteria, qualis iam in can. 1206, § 1, habetur, haud superflua esse iudicata est, ideoque utiliter retinetur.

Hic expedit memorare propositiones quas Coetus, in fine sui laboris, approbavit de quaestione speciali *Sanctuariorum*, de quibus nihil

in Codice vigenti statuitur. Tres canones novi proponuntur. In primo, sanctuarii nomine intellegitur ecclesia vel aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quam ob peculiarem pietatis causam, a competente auctoritate recognitam (variae causae exemplative indicantur), fideles animo peregrinandi currunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda. Deinde distinguuntur diversae species: sanctuarium haberi potest uti paroeciale, diocesanum, regionale, nationale, internationale, accedente recognitione a competente ecclesiastica auctoritate, quae, si id exigant rationes vere pastorales, eidem sanctuario poterit quasdam exemptiones tribuere. Tandem, indicatur munus pastorale eiusmodi locis proprium, fidelibus nempe suppeditare abundantiora salutis media, iis proponendo copiam confessariorum et insimul fo- vendo catechesim, vitam liturgicam et sacramentalem.

B - DE TEMPORIBUS SACRIS

Recognitione sectionis I, « De locis sacris », ita peracta, Coetus canones praeliminares sectionis II, « De temporibus sacris » (cann. 1243-1246) aggressus est.

Non obstante distinctione inter sollemnitates et festa in novo iure liturgico introducta, visum est servare definitionem in can. 1243 datam, scil. « tempora sacra sunt dies festi », mutata tamen altera clausula ita ut legatur: « iisque accensentur dies paenitentiae », loco « dies abstinentiae et ieunii ». Cum eadem verborum modificatione, utraque paragraphus canonis 1244 retinenda est, sed simul proponitur ut § 2 fiat canon distinctus in ultimo loco ponendus.

Attenta ampliore a legibus ecclesiasticis dispensandi facultate, quae, ad mentem decreti conciliaris « Christus Dominus », n. 8, Episcopis dioecesanis iam agnita est, satis erat, in can. 1245, determinare facultatem dispensandi vel commutandi quam in hac materia habent parochi nec non Superioris in Religione aut Instituto clericali. Norma in can. 1246 statuta de supputatione diei festi vel paenitentiae servanda est, addita vero clausula: « firma facultate satisfaciendi vespero praecedenti praecerto Missae assistendi, ubi id concessum fuerit ».

Quod attinet ad dies festos in specie (cann. 1247-1249), imprimis solvenda erat quaestio de catalogo dierum festorum qui iure communi « sub praecerto in universa Ecclesia » (can. 1247, § 1) servandi sunt. Nam revera hodie dies festi sub praecerto servandi determinantur pro unaquaque natione et iuxta eiusdem mores adjunctaque, sive concor-

dato sive indulto apostolico. Si igitur aliquis index festorum de pracepto in iure communi sit retinendus, reducatur oportet, efficaciae causa, ad dies qui de facto in universa Ecclesia sub pracepto servari debent et possunt. Post maturam quaestionis disceptationem, probata tandem est haec formula: « Praeter diem dominicum, qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus sub pracepto servari debet (cf. Calendarii normas, n. 4), diem quoque Nativitatis D.N.I.C. et unam ex sollemnitatibus B.M.V., a Conferentiis Episcopalis designandam, penes eandem Conferentiam Episcopalem est determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub pracepto servandi sint ». In eodem canone, supprimendae sunt §§ 2 et 3.

Circa modum servandi eiusmodi dies (can. 1248), unanimes erant Consultores circa obligationem audiendi Missam, quae vero aptius exprimeretur sic: « Missae celebrationi fideles participant ». Quod autem requiem festivam spectat, ut ius commune moribus socialibus necnon conditionibus oeconomicis aevi moderni magis aptetur simulque arceatur illa casuistica scrupulosa quam enumeratio operum prohibitorum taxativa fovere solebat, visum est normam potius ex requiei finibus definire, hoc quidem modo: « et abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitum mentis et corporis relaxationem impediunt ».

Can. 1249 ad simpliciorem redactus est formam, qua legi de Missae participando satisfacit qui Missae assistit ubicumque legitime celebratur ritu catholico. Accepta vero non fuit propositio a quibusdam Consultoribus prolata, ut huic canoni addatur § 2, iuxta quam, ad mentem Directorii Oecumenici, n. 47, legis pracepto satisfacerent item illi qui occasionaliter iustaque de causa sacrae divinae liturgiae apud Fratres Orientales seiunctos diebus dominicis vel festis de pracepto adessent; nam, iuxta opinionem maioris partis Consultorum, agitur de concessione in documento de se provisorio mutationique obnoxio facta, quae haud opportune introduceretur in iuris communis Codicem, cuius insuper silentium minime obstat quominus eiusmodi concessiones praeter legem fiant.

Circa congruam dierum paenitentiae observandorum rationem, dubitabatur an, attentis moribus conditionibusque tam diversis in variis nationibus hodierno tempore extantibus, disciplina quae ieunio, sensu traditionali intellecto, atque abstinentia a carnis praecipue nititur, apta basis pro lege definitiva et universalis iamiam praebere posset. Pacificum quidem inter omnes erat, ipsam paenitentiae agendae obligationem in iure communi urgendam esse, utiliterque in eodem indicari

posse illos actus paenitentiales traditione christiana speciali modo commendatos. Vix tamen concipi valet disciplina uniformis iureque communi imponenda, quae vitae fidelium stilo in universa Ecclesia aequo modo congrueret. Formula igitur tandem evoluta est, iuxta quam pastores animarum fideles constanter admonere debent de obligatione qua tenentur omnes paenitentiam agendi eosque hortari ut, praesertim feria VI in Passione et Morte Domini totoque tempore quadragesimali atque feriis sextis per annum, actus paenitentiales, inter quos ad exemplum Christi Domini preeminent iejunium, corde contrito peragant; Confessoriarum autem Episcoporum est dies et formas paenitentiae suis regionibus aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescribere.

Tali norma in iure condendo sancita, superflui redderentur cann. 1253, 1254. Nihil exinde obstaret quominus ius Institutorum religiosorum particulare, alio modo in hac re determinatum, confirmetur; id tamen aptius fieret in ea Codicis parte quae de Institutis perfectionis agit.

Approbata tandem est propositio ut omnes canones qui de diebus festis vel de diebus paenitentiae tractant, sub unica ponantur inscriptione, nempe « De temporibus sacris » (Laurentius L. McReavy, *Relator*).